CUM DRACONE CERTAMEN

CARMEN

FRIDERICI SCHILLERII

A

FRANCISCO PHILIPPIO

LATINITATE DONATUM



VENETIIS

TYPIS JOSEPHI ANTONELLI

AUREO DONATI NUMISMATE

M.DCCC.XXXVII

Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quod te imitari aveo.

LUCRETIUS *De Rerum Natura* lib. III.

ANGELO RIZZIO

SANCTI DONATI AD PLAVIM PAROECIÆ

CURAM SUSCIPIENTI

FRANCISCUS PHILIPPIUS

P. S. D.

Omnes homines, qui christiana censentur Religione, si sui dignitatem nominis aeque velint tueri, donec in hac lacrymarum valle commorantur, cujusdam velut militiae pondus debent sustinere. Id et divino Scripturarum oraculo traditur, et communi etiam christianorum vita declaratur. Habemus enim omnes, ut ajebat Augustinus, occultam luctam adversus principes tenebrarum harum, qua e lucta nemo discessit superior, nisi qui legitime certavit. Hi autem teterrimi nostri hostes, ut nobis omnibus assiduum bellum gerunt, ita eos

praecipue petunt, quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei; ut videlicet, percusso pastore, facilius gregis oves dispergantur. Quae cum ita se habeant, dabis profecto mihi non difficulter hanc veniam, ut tibi, hodie animarum curam suscipienti, egregii exemplar pugnatoris exhibeam, ubi sane multa, quae tibi maximo sint usui, reperies. Pugnavit videlicet hic Heros cum ejusmodi Dracone, qui multis ex partibus vel cum Satana jure merito fuerit comparatus. Habes hic in promptu omnia, quae ante pugnam, quae in

pugna, quae post pugnam sint peragenda. Novi animum, novi vires, novi pietatem tuam: hunc, qui tibi a me proponitur, fortissimum virum imitaberis, nec sines profecto singularem Ferum vineam tuam depasci, nec quos nunc tibi Dominus committit, perdere ex eis quemquam. Illud autem ne cures, quod pulcherrimum hoc figmentum sit ab homine non orthodoxo profectum. Eo nimirum praenitet catholica nostra fides verae lucis fulgore, ut bene cordati homines, etiamsi ab ea dissideant, illum nequeant non intueri. Sic olim regina Saba

sapientiam confessa est Salomonis, sic etiam Balaamus, ethnicus homo, pulchris tentoriis Israel benedixit. Nihil ab hujusmodi scriptis pertimescendum est. Doleamus potius illorum vicem, qui videntes non vident, gratiasque, quantas maximas animus noster capit, agamus illi, qui fecit nobiscum misericordiam suam, nec fecit taliter omni nationi. Vale.

Venetiis IX *Cal. Octobris* MDCCCXXXVII.

CUM DRACONE CERTAMEN

ELEGIA

Quid currit populus, longis se in callibus urgens?
Quid fremit, irati ceu fremit unda maris?
Nunquid clara Rhodos proprios considit in ignes?
Se nebulae ut glomerant turbinis, ille coit.
Ecce autem medio accurrentis in agmine turbae
Apparet late conspiciendus Eques.
Quem pone, horrendum! trajectis funibus actum,
Monstrum ingens caeso corpore verrit humum.
Si spectas, reris formam spectare Draconis:
Praelongas fauces, ut crocodilus, habet.
Admiranda omnes capiunt spectacula, et omnium
Ad se oculos vertunt ille Eques, ille Draco.
Haec inter late resonat vox ista per auras:
Huc huc ferte gradus; aspicite, ille Draco est,
Pastoresque, gregesque avidis qui dentibus hausit:
Hic Heros, cujus concidit ille manu.
Ante illum multis, animus quos impulit idem,
Terribilis pugnae palma petita fuit;
Ast heu heu nullis unquam fuit inde regressus.
Eja agite, audentem tollite in astra virum.

Caenobiumque petit densa gens tota catherva,
    Ordo ubi Baptistae claustra Joannis habet.
Jussa vocant Equites: retinet mora nulla vocatos:
    Astant concilio protinus omnis Eques.
Nobilis ecce sedet multa gravitate Magister,
    Ad quem se juvenis forma modesta tulit.
(Prosequitur populus, magno strepitatque tumultu,
    Qua loca per multos itur in alta gradus.)
Incipiensque prior sic verbis ora resolvit:
    Quae debebat Eques, munia functus ego.
Nempe sub his jacuit monstrum crudele lacertis,
    Quod terror late per loca, morsque fuit.
Liber carpat iter tandem quacumque viator;
    Pastor agat tandem tuta per arva gregem.
Teque adeant, Virgo, saxosi in vertice montis,
    Multa ubi in aedicula vota tabella tua.
Iccirco hunc oculis Princeps non aspicit aequis;
    Heroisque, addit, gloria parta tibi est.
Clarent Heroes nimirum fortibus ausis:
    Et tuus hac magnus parte feretur honos.
At mihi fac dicas: Equiti quae maxima legum
    Lex est, pro Christo qui pia bella gerit,
Vexillumque crucis decorato in pectore gestat?
    Hic cunctis circum pallor in ora venit.
Attamen ille unus gestuque, et voce verentis
    Respondet; medius rumpit et orsa pudor:
Lex est prima Equitum parere: ante omnia nostro
    Ornatu dignos id probat esse viros.
Et tamen hanc legem, mi Fili, (voce Magister
    Subdidit austera) te temerasse vides.

Tu, quam lex prohibet, potuisti invadere pugnam
Impius, audaces et scelerare manus.
Judicium, Princeps, ubi sciveris omnia, reddas,
Alter sedato pectore prosequitur;
Quandoquidem sensum me legis, vimque putabam
Hic quoque vel summa persoluisse fide.
Non inconsulti fuit haec victoria casus,
Nec solis caesus viribus iste Draco.
Prudens consilium, solertiaque adfuit artis.
Difficilis pugnae sic mihi cessit honor.
Quinque prius (magnum renovat meminisse dolorem)
Qui jam lux ingens ordinis hujus erant,
Isto conciderunt, audentia pectora, campo.
Tunc vetuisti Equites dimicuisse tuos.
Ex illo penitus mihi edebat cura medullas,
Non facere haec dextra praelia posse mea.
Hoc etiam placidae referebant somnia noctis:
Sopiti ante oculos noxia saepe fera.
Quod si mane novo comparuit omnituens sol,
Nocturnae stragis notitiamque tulit,
Ut mea tunc tristi tumuerunt pectora bile!
Hoc mihi pugnandi mentem, animosque dedit.
Scilicet haec mecum tacito sub corde putabam:
Quid juvenes ornat, quid decoratque viros?
Quae tanta Heroum virtus, quos cantica vatum
Commemorant, ullo non op tacitura die,
Quos ad splendorem quondam, numerumque Deorum
Sustulit in caecis ethnica gens tenebris?
Quid, nisi vindicibus pacarunt viribus orbem,
Monstra per audaces et domuere vices?

Non ollis terror frendentes torva leones,
Non minotaurûm forma bimembris erat.
Dummodo ne miserae paterentur talia gentes,
Pro nihilo labor his. sanguis et ipse fuit.
Numquid dignus erit tantum Saracenus, ut illum
Oppugnent nostrae robora militiae?
In falsos tantum pugnandum est praelia Divos.°
Christicola, assertor publicus, arma gerit,
Ut quodcumque malum est, affert quodcumque dolorem,
Si liceat, valida pellat ab orbe manu.
Sic tamen, ut fortes animos prudentia ducat;
Ars etenim hic debet, vis ut, habere locum.
Saepe haec dicebam mihi moerens; solus et ibam
Visere consuetum diri animantis iter.
Tunc Deus hoc proprio complevit numine pectus.
Inveni, inveni, mens mea dixit ovans.
Protinus ad te adii, supplex et talia dixi:
Cor mihi natales ardet adire plagas.
Et tua prona meis fuit indulgentia votis;
Felici et secui caerula vasta rate.
Ut tetigi patriae cupido pede littora terrae,
Artificis docta protinus usus ope,
Ei similem ex omni properavi parte figuram,
Quam prope conspectus visus habere Draco est.
En moles, brevitate pedum suffulta duorum,
Attollit sese, turris et instar habet.
E squamis tegmen dorsum concludit, et illud
Terrificis tutum reddit ab hoste modis.
Hinc longi existit monstrum mirabile colli:
Et quale inferni panditur os barathri.

Tales horrendo fauces panduntur hiatu,
Jam jam capturae praemia, si qua patent.
Ordinibusque crebris vulnus, mortemque minantur
Dentes, qui nigro in gurgite cuncta terunt.
Ut gladii cuspis, linguae vibratur acumen:
Fulguris emittunt lumina parva jubar.
Quo pars enormis protenditur ultima dorsi,
Illinc immensi corpus in anguis abit.
Horribile et visu se circum volvit in orbem,
Ut spiris hominem nectat, equumque suis.
Omnia sunt formis descripta fidelibus, omnia
Efficiunt cineris picta colore metum.
Hic vermis, illic salamandra, Dracoque videtur,
Pestifer e putri quem lacus edit aqua.
Ultimaque ut factae manus est imposta figurae.
Anglorum ipse canum par bene compositum
Deligo, qui saevi, multa vi, praepete cursu,
Quaslibet assuerant detinuisse feras.
Hos hortor fictum contra pugnare Draconem,
Instigoque acres ad rabiem usque animos.
Ne dentes hostis formident figere in artus;
Et mea vox ollis praevia, duxque venit.
Quaque minus ventris visa est durescere pellis,
Morsibus atque aditum, vulneribusque dabat.
Parte hac praedocco saevum comprendere monstrum,
Parte hac fulmineis dentibus esse feros.
Ipse ego, rite meis telis instructus, et armis,
Quem mihi de terra divite mittit Arabs,
Conscendo alipedem, generosa stirpe creatum:
Concitaque in furias arsit ubi ira feri.

Huic monstrum contra totae immittuntur habenae;
Vimque incurrentis calx, stimulusque juvant.
Dispiciensque locum, ferrum quod missile vibro,
Effigiê versus membra petita volat.
Et licet arrecto quadrupes se corpore tollat,
Et fremat, et spumis mansa lupata fluant;
Anglorumque canum vis rugiat anxia; nil est,
Dum fungi discat munere quisque suo.
Sic exercentur magnis mihi nisibus, orbis
Donec completi tertia Luna fuit.
Omnia cum longum bene jam didicere per usum,
Illos huc celeri per mare puppe veho.
Tertius et mundo solis nunc emicat ortus,
His ut littoribus anchura jacta mea est.
Tempore vix aliquo fessum requiescere corpus
Fas fuit; ad se etenim grande vocabat opus.
Quandoquidem nuper dolor in regione novatus,
Urebat nimia pectora nostra face;
Pastores caesi, qui capti errore viarum,
Ibant, prima aegra qua palus humet aqua.
Nulla mora est: statuo rem protinus esse gerendam,
Consilium a solo quod mihi corde venit.
Quid peragant pueri, properanti voce monentur.
Nigra mihi experti terga premuntur equi.
Anglorumque canum comitante ardore feroci,
Qua mage secretum semita praebet iter,
Sunt ubi nulla meis praesentia lumina factis,
Saevum contra hostem me meus ardor agit.
Tu nosti aediculam, Princeps, quae culmine celso
Edita, praerupti surgit in arce jugi,

Ex quo spectantum late patet insula visû.
Hanc audens Fabri condidit ingenium.
Spernenda et primum, pauperque, et parva videtur;
Quod tu mireris, continet ipsa tamen.
Infantem genibus mater sustentat Iesum,
Cui praebent Reges tres tria dona magi.
Hujus non tangit peregrinus culmina rupis,
Ter nisi triginta ascenderit ante gradus.
Vis redit hic olli, quamvis vertigine capto,
A Salvatoris proximitate sui.
Quae super impendet rupes, infra exhibet antrum;
Naturae dubium num sit, an artis opus;
Udum quod semper vicinae rore paludis
Nunquam ineunt clari lucida tela diê.
Haec vermi sedes: hic, praedae sedulus ille
In circumspectu, nocte dieque sedet.
Sic par inferno (faciunt exempla) Draconi,
Sub sacra Domini stat vigil ille domo.
Si quis et erranti fert hac vestigia gressu,
Inscius aerumnae prosequiturque viam,
Tum ruit e latebris hostis magno impete, et illum
Mandendum exultans in sua tecta trahit.
Aërii rupes ascendo culminis, ante
Quam mihi difficilis pugnae ineatur iter.
Infantis Christi supplex advolvor ad aram,
Expurgo admissis et mea corda meis.
Necdum digressus sacrati e limine templi,
Armorum lucens induor ipse decus.
Arripioque manu, quae vulnerat eminus, hastam,
Planitiemque peto, saevus ubi hostis adest.

Hic linquo famulos, aditurus praelia solus.
Discedens ollis do mea jussa tamen.
Et velocis equi conscendo promptus in armos,
Et prece commendo vitam, animamque Deo.
Vix bene contigeram noti plana aequora campi,
Cum subito pavidum latrat uterque canis;
Protinus et sonipes pavefactus subrigit aures,
Et fremit, et jussus longius ire negat.
Nempe voluminibus proprios collectus in artus,
Horridus aspectu non procul anguis erat;
Quem, cupide ardentis captantem lumina solis,
Excitat instantum vis operosa canum.
Hi tamen effugiunt, vibratae more sagittae,
Ut fauces aperit rictu inhiante Draco,
Emittitque simul sufflanti ex ore venenum,
Insurgensque lybissae instar hyenae ululat.
Protinus ipse ollis animos, vimque addere pergo:
Illi hostis rabido corpora dente tenent.
Nec mora, nec requies; valido contorta lacerto,
Appetit illius lancea nostra femur.
Nil tamen haec prodest, thorax quod squameus obstat,
Irritaque, ut tenuis virga, remissa cadit.
Et, prius hunc instans quam possim iterare laborem,
Hanc monstri speciem ferre recusat equus,
Formidans oculos basilisci luce tremendos,
Quodque venenifero flamen ab ore venit,
Conaturque retro rapido se vertere nisu.
Hic actum de me prorsus et ipse reor.
Extemplo saltus furiis me liberat illis;
Nudus et in dextra protinus ensis adest.

At non thoracis, geminarem ut fortiter ictus,
Marmoream evalui caedere duritiem.
Meque, ut consuetas, horrendum! exarsit in iras,
Intorto caudae verbere stravit humi.
In me, jam video, fauces extendit hiantes.
Est prope, sim rabidis dentibus ipse cibus.
Adcurrere canes, vires queis addidit ira,
Morsibus et ventrem, quae loca jussa, petunt.
Constitit ille opplens magnis ululatibus auras,
Perforat ut saevus viscera capta dolor.
Et prius illorum quam se subduceret ausis,
Erexi, arrepto tempore, corpus humo;
Compertoque, hostis qua possit parte feriri,
Ictum jam meditor ventris in ima meum.
Semper eodem actus, capulo tenus abditur ensis.
In terram nigri sanguinis unda fluit.
Corruit hic praeceps; at, dum trahit ipse ruinam,
Corporis immensi me quoque mole operit.
Sensibus ereptis mihi mens tunc excidit omnis;
Cumque in me rursus me reperire fuit,
Aspicio famulos me circum stare paventes;
Sanguine et in proprio bellua caesa jacet.
Ingens plaudendi, dudum compressa, cupido
Astantum prodit libera ab ore virum
Utque Heros finem dicendi talia fecit,
Volvitur in celsis fornicibus decuplus,
Mixtarum reboans vocum sonus; ictus et idem
Ædibus adversis grandior usque redit.
Ordinis acclamant Equites ipsius, et instant,
Ut radiet meritum digna corona caput.

Grati animi et populus populo hunc ostendere gestit,
Ferre et per celebres tanta tropaea vias.
Contrahit hic vultum multa gravitate Magister,
Austerusque omnes comprimere ora jubet;
Et loquitur: Qui cuncta dabat hic vasta, Draconem
Virtute extinctum cernimus esse tua.
Caelicolum a populo dignaris honore Deorum.
Te tamen hostem hujus ordinis esse scias.
Namque tuo pejor de pectore prodiit anguis,
Quam, modo mactatu qui jacet, ille, tuo.
Nimirum serpens, qui corda humana venenat,
Quem propter rixae, mors propiorque venit,
Spiritus irrequies, recto contrarius, ille est,
In disciplinam qui temere usque ruit,
Ordinis et sacri disrumpit vincula: nempe
Fatale hinc mundo nascitur exitium.
Vel Mameluchus habet, quae jactet fortia facta.
Pareat Christicola: ei maximus inde decor.
Namque, ubi cuncta suo qui complet numine, formam
Accepit servi, nudus et ire tulit,
Fundamenta Patres jecerunt ordinis hujus;
Et primum in sancto sic coiere solo,
Ut, quod praecipue humanis affectibus obstat,
Injicerent propriis fraena cupidinibus.
Vana tuum, ipse vides, captavit gloria pectus;
Iccirco ex oculis cede, age, cede meis;
Ferre jugum Domini quoniam quicumque recusat,
Divinae haud par est huic decus esse crucis.
Hic mota exurgit violento murmure turba:
Exagitat totam multa procella domum.

Sit locus et veniae, consortis ordinis orant.
    Attamen hic juvenis lumina figit humi,
Deponitque silens habitum, saevamque Magistri
    Apprendit reverens oscula ad ipsa manum;
Atque abit. Ille oculis gressum comitatur euntis,
    Protinus et blanda voce redire jubet.
Meque amplectere, ait, Fili: victoria parta est
    Hic tibi nobilior, quam fuit illa prior.
Quod se nunc ipsam tua tanta modestia vicit,
    Hanc habeas a me, praemia digna, crucem.



